

# EPISTULA LEONINA

## XCI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

**N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

**HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XC INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:**

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**NONAGESIMAM PRIMAM (91) !**

## ARGUMENTA

1. Libri Leonis Latini nunc venaliter prostantes p.5
2. Crabatus Latinus tandem editus! Ecce Praefatiuncula p.6-8
3. Sabatina James in Natale Domini quid nobis annuntiet p.9-10
4. Sacerdotes libero ore loquentes (I):  
Quid sacerdos quidam catholicus sentiat de profugis recipiendis p.11-14
5. Echûs voces: Epistula Marci Cristini p.15
6. NOX NATALICIA. Carmen Alafredi Bartoli p.16-20
7. VOTA IN ANNUM MMXVI FERENDA p.22.



**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod anno MMXVI ineunte mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam primam.*

*Vide supra argumenta huius Epistulae multiplicia. Haec omnia multo labore necnon amore Tibi praeparata et omnino gratias oblata utinam placeant! En laetum nuntium: Crabatus Latinus tandem est editus. Tolle lege laetare.*

**Hôc quoque anno pancraticê vale et perge mihi favere!  
Medullitus Te salutat**


**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Veneris, **01. m. Ian. a.2016**



**NUNC TANDEM**

**CRABATUS LATINUS**

**ËDITUS EST.**

**TOLLE LEGE LAETARE !**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>

Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



**VICINA SUNT VITIA VIRTUTIBUS**

**HIERONYMUS**

**(347-420)**

**DIALOGUS CONTRA LUCIFERIANOS 15.  
PINXIT ALBRECHT DÜRER A.1521.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |  |                |
|--|----------------|
| <i>1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....</i>                       | <i>49,00 €</i> |
| <i>2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....</i>                  | <i>42,90 €</i> |
| <i>3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....</i>                | <i>45,90 €</i> |
| <i>4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz).....</i> | <i>25,00 €</i> |
| <i>5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....</i>     | <i>22,00 €</i> |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.*

# *Crabatus*

Fabula romanica  
quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

**Senden in oppido Bavariae Suebicae  
a.2015**

Otfried Preußler, Krabat  
© 1981 by Thienemann Verlag  
(Thienemann Verlag GmbH)  
Stuttgart/Wien, [www.thienemann.de](http://www.thienemann.de)

Editio Latina:  
Copyright © 2015 by LEO LATINUS  
[spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com)  
ISBN 978-3-938905-35-3

## Praefatiuncula

*Cara Lectrix, care Lector,*

*alterum opus Otfridi Preußler magni narratoris vobis legendum offero hōc anno saeculi vicesimi primi quinto decimo: postquam in Latinum converti Raptorem Hotzenplotzium hilarem libellum puerilem, ausim in lucem êdere fabulam eiusdem auctoris laureati graviolem, immo gravissimam a me togâ donatam.*

*Profecto fabula Crabati nequaquam est narratiuncula ad parvulos delectandos scripta. Molinâ in libro Crabati descriptâ noctibus horrendis permoluntur ossa humana; Crabatus, puer molinarius, se liberare debet ex manibus magistri diabolici rapacibus. Pueris molinariis quadamtenus semper imminet horribilis gladius Damoclêus: sciunt anno exeunte uni ex duodecim fore moriendum.*

*Hanc fabulam austerâ suâ pulchritudine gravem atque admirabilem Latino sermoni ut mandarem non potui, quin in animum inducerem.*

*At difficultates mihi obstiterunt non minoris momenti.*

*Nonnulli termini technici ab Otfrido adhibiti haud faciles fuerunt Latinê redditu. Gaudeo me invenisse quaedam cimelia lexicographica; inspicias, quaeso, Glossarium Crabati: baburrus, bombylius, cobalus, crembalum (sive trombula), gerrae, granatarius, hirquitallire, horripilare, longurio, muscatarius, myinda (sive musca aenea); pectaculum, scultetia, necnon adverbia recentiora, tamen haud aspernanda: saccatim, pabonatim, grandinatim, et multa alia.*

*Sorabica nomina propria ad formam Latinam redegi: Andrusch = Andreas, Hanzo = Iohannes, Juro = Georgius, Kantorka = Cantorissa, Kito = Christianus, Kubo = Cobalus, Lyschko = Lysander, Merten = Martinus, Michal = Michael, Petar = Petrus, Staschko = Stanislaus, Tonda = Antonius necnon Witko = Vitus. Nomina Crabati (Krabat) et Lobosi (Lobosch) fuerunt a ratione etymologicâ excipienda (v. Glossarium).*

*Velim quoque cognoscas, Lectrix candida, candide Lector, quae mihi fuerit difficultas maior quam lexicographica: Id mihi proposueram, ut ingeniosam facultatem narrandi Preußlerianam quam optimê aequarem dictione Latinâ. Ita factum est, ut diutulê muginarer, quonam uterer genere dicendi et quibus locutionibus. Oportet enim interpretem non solum ipsa argumenta auctoris*

*fideliter reddere, sed etiam ūti colore verê Latino. Quatenus mihi contigerit, ut hunc finem assequer, iudicent censores aequi.*

*Denique uxori meae carissimae Hyunsook Youn-Groß gratias ago ineffabiles pro laboribus Leonis Latini causâ diligentissimê exanclatis.*

*Tu autem, Lectrix benevola, Lector benevole, utinam hellueris Crabato legendo, quem ego, quantum potui, donavi veste Latinâ. Memento Thomae a Kempis, qui scripsit: »in omnibus requiem quaesivi, et nusquam invêni nisi in angulo cum libro«.*

*Vale et perge mihi favere.*

*Medullitus te salutat Nicolaus interpres Latinus.*

*Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae  
d.8. m.Nov. a.MMXV*



**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**



## **SABATINA JAMES IN NATALE DOMINI QUID NOBIS ANNUNTIET**



<http://www.pi-news.net/2015/12/weihnachtsbotschaft-von-sabatina-james/>

### **HEUS CARI AMICI, LAETUM NATALE DOMINI VOBIS EXOPTO !**

Natale Domini celebramus, quod Deus in Iesu Christo factus est homo, ut nobis donaret nuntium suum caritatis et ignoscentiae et reconciliationis. Sed nonnullis in ecclesiis dona dantur die demum Epiphaniae, quo Tres Reges Sancti<sup>1</sup> dona sua attulerunt.

Hôc die significatur oportere, ut domini eorumque consultores nuntio caritatis obligentur. Ad hoc assequendum violentiae non conceditur caritatis causâ, sed nomine caritatis eiusdemque tutandae causâ violentiae resistitur, praesertim ab iis, qui rei publicae praesunt.

Quod attinet ad Germaniae islamizationem aut saltim ad portionem incolarum islamicam evidenter exauctam, politici videntur aliter opinari quam populus.

---

<sup>1</sup> i.e. μάγοι, adn. interpretis.

Remotis autem his opinionibus inter se diversis omnes qui volunt esse veri democratæ voluntque sequi Christi nuntium caritatis, de Islamicis facinoribus violentis deque violentiæ efflagitationibus minimê debent inter se dissentire.

Doleo quidem, quod hõc tempore homines varii generis affirmant se, cum democratæ et fundamentalistæ islamistici inter se rixentur, velle medios se gerere inque nullius partem esse inclinatos.

At de istis hominibus dicenda sunt hæc:

Is, qui islamistas misogynos et anti-iudaicos et anti-christianos et ad vim adhibendam paratos in Germaniam sinit venire neque excussos neque perquisitos permittitque, ut divulgent opiniones suas propagandas, is, qui islamistas quamvis facinoribus violentis patefactis non remittit in terras islamisticas, immo, qui eosdem civitate donat Germanicâ - iste homo culpæ particeps est, quæ contrahitur sceleribus islamistarum necnon passionibus hominum ab illis afflictorum, iste impedit iura humana concedenda, iste subruit democratiam, iste detrimentum affert societati liberæ, apertæ, multiplici, iste favet civitati condendæ custodiaræ, in qua iura civium tutelaque datorum deminuuntur necnon iste prodit fidem christianam humanitatemque.

**Exopto vobis omnibus lætum Natale Domini atque Annum Ineuntem perquam salutare. Utinam mox revideamus.**



**HAEC VERBA NATALICIA FECIT SABATINA JAMES**

**EADEM E THEODISCO SERMONE IN LATINUM CONVERTIT**



**NICOLAUS GROSS  
LEO LATINUS**

## SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (I)

**Sacerdos quidam catholicus quid dicat de profugis recipiendis.  
02.01.2015.**

<https://www.youtube.com/watch?v=R-dvJkLNFPg>



In nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti. Amen.

### ***Cari fratres sororesque in Christo,***

fingite aliquem virum possidêre domum et familiam eundemque habere in domo habitacula libera, quae velit locare. Îdem vir num tales conductores comprobabit, quales timeat ne corrumpant liberos suos?

Omnis dicat: Non comprobabit, sed ei licet decernere, utrum comprobet necne. Hôc tempore Germania in eo est, ut hoc decernat. Catholica doctrina socialis postulat, ut de talibus quoque quaestionibus difficilibus sententiam dicamus.

A politicis necnon a viris ecclesiasticis dicitur: *„Debetis plures homines recipere et collocare, quicumque sunt.“* Provocatur autem ad verba Sacrae Scripturae, e.g. *“Benefacite his qui oderunt vos ...et orate pro persequentibus (Matthaeus 5,44).“* – Monetur – die hodierno in Euangelio – de caritate erga inimicos, qua fuerit Stephanus, qui moriturus dixit: *„Domine, ne statuas illis hoc peccatum!“ (Actus Apostolorum 7,60)* – quod dixit secundum exemplum Iesu: Iesus enim crucifixus declaravit: *„Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.“ (Lucas 23,34).*

Quidnam de hac re sentiendum est? Quanta licet sit caritas erga proximos? De hac re exarsit controversia, et multi Germani tantâ sollicitudine affecti sunt, ut aliquot mille, immo decem milia eorum publicê congregentur, qui nolint terram nostram islamizari.

A.2013 ex Syriâ recepimus undecim milia hominum asylum petentium. Eorum septuagenae centesimae partes (70%) – i.e. octo ferê milia

(8000) – fuerunt muslimi, plerique ceteri fuerunt christiani. Perquam certum est erga eos, qui belli causâ sunt patriae expertes, quibus omnia ablata sunt, nobis esse magnam responsalitatem moralem. Qua fieri potest, ut res privatae nostrae deminuantur eo fine, ut e.g. in terris profugorum terrae finitimis aedificentur vici oppidave sumptibus nostris.

At nobis non solum est ius, sed etiam officio obligamur – hoc autem hic dico, quamvis contradicam quibusdam episcopis, qui in hac quaestione diiudicandâ non sint infallibiles – nobis est et ius et officio obligamur fidem nostram christianumque cultum nostrum civilem dominantem<sup>1</sup> defendendi. Fines certe varii definiendi sunt ab hominibus rei eximie peritis hominibusque politicis. At est nobis ius superalienationem<sup>2</sup> arcendi et a nostris politicis iure postulamus – et hoc publicè oportet dicatur ab ecclesiâ, quia terra nostra maiorem partem est christiana – postulamus, ut refugium praebeamus praecipuè profugis christianis. Paulus (*Ad Galatas 6,10*) scribit haec: „*Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.*“ Scilicet Paulus id velit etiam fieri, ut servetur fides propria. Prorsus manifestum est, Germania si islamizaretur, futurum fuisse, ut fidem christianam magnâ ex parte amitteret. Multi, qui fidem parum noverunt, qui viventes fidem parum sequuntur, infirmati propriam fidem desererent. Est officium pastoris de hōc periculo monere. Mater mea mihi reliquit hanc sententiam in vitâ meâ futurâ respiciendam: „*Quid prodest ovibus, si ipse pastor est ovis?*“

In caritate erga proximos observandâ oportet procedamus usque ad extrema. Novimus sermonem a Iesu in monte habitum et scimus Iesum adhortari, ut voluntariè parati simus caritate hostium vel inimicorum omnia, ipsam vitam nostram, possessionem nostram dare. At cum sciamus islamistas esse violentos, eosdemque coranum neque posse mutare neque velle, quia mutari non possit, necnon ad islamum spectare mundi expugnationem ab islamo faciendam, oportet ut nos, sic ut maiores nostri fecerunt, ante Lauretum, bis ante Vindobonam, ad impetûs muslimorum in Romam factos arcendos, necnon ad impetûs in totum Mare mediterraneum factos, quibus aliquot centum milia christianorum decursu saeculorum ad servitutem redacti sunt – sicut christiani seditionem fecerunt in Hispaniâ, quam per dodrans millennii, i.e. per septingentos viginti quinque annos muslimi tenuerant occupatam, quo factum est, ut adhuc hodie quartum quodque verbum linguae Hispanicae originis sit arabicae – nos quoque, ut sumus christiani,

---

<sup>1</sup> cultus civilis dominans; orig. Leitkultur; angl. guiding culture, dominant culture, mainstream culture, core culture; fr. culture de référence, culture dominante; hisp. civilización dominante; ital. cultura dominante

<sup>2</sup> \*superalienatio, -onis f. orig. Überfremdung. cfr angl. hyperxenesis, superalienation, foreign infiltration, foreign domination; fr. surpopulation étrangère; hisp. extranjerización; ital. inforestierimento.

caritate erga Servatorem affecti officio obligamur, ut fidem servemus et nostri et hominum nobis mandatorum. Itaque mihi licet in nomine catholicae doctrinae socialis publicè postulare, ut politici nostri recipiant profugos christianos, sed pecuniâ dandâ efficiant, ut profugi non-christiani aliis in terris refugium assequantur. Si autem politici hoc non fecerint, mihi licebit omnes christianos adhortari, ne commoveantur verbis monitoriis – etiamsi talia fiunt ab ipsis episcopis – et ut participes fiant magnarum congregationum massalium<sup>3</sup>. Prorsus manifestum est talibus congregationibus etiam se intermiscere homines radicales reclamatoresque communes, personas, quae cupiant tumultûs violentos. Scilicet semper fieri posse, ut diurnarii eo, quod contendant plerosque participes esse tales turbatores, famam obscurant integrae congregationis.

At nos diligimus fidem nostram catholicam. Triste est nos in mundo muslimico fidem nostram perparum propagare potuisse. Vetus quidam missionarius in Indiâ operans, qui nuper mortuus est, mihi narraverat se decursu vitae suae baptizavisse quattuor quinqueve milia Indorum, praesertim indigenarum. Quandocumque ecclesiam – primo scholam, deinde ecclesiam aedificavisset, necnon viculo circumposito – se haec missionario iuniori tradidisse et cum nonnullis familiis iter perrexisset. Hac autem occasione ille mihi narravit se in totâ vitâ suâ in Indiâ muslimorum neminem baptizavisse nisi numerum exiguum, quia iidem timuissent, ne a familiis expellerentur neve occiderentur. Non licet nobis hanc condicionem praetermittere oculis conclusis. Scilicet caritatem nobis exercenda sit erga omnes. At eadem oportet incipiat in patriâ propriâ, in propriâ familiâ et erga fidem propriam. Omnis caritas alia non est vera!

Itaque precemur Sanctum Stephanum, martyrem caritatis erga proximos, ut Ecclesia Catholica Germaniensis somno expergiscatur et cognoscat, quid sit vera caritas erga proximos. Oportet conservemus praecepta maiorum tradita, non solum in liturgiâ – sed etiam in modis agendi secundum catholicam doctrinam sociale observandis, sicut nos saecula docuerunt, necnon in islamo arcendo. Diligimus singulos muslimos – ii quoque sunt fratres nostri – oramus, ut iidem serventur aeternitati. At a nobis etiam iis dicendum est nos a lesu certiores factos esse neque nos posse servari nisi a lesu et partu infantis divini die natalicio facto necnon eiusdem crucifixione atque resurrectione. Itaque

---

<sup>3</sup> orig. große Massenversammlungen. massalis, -e cfr EL 88, p.9 s.v. Masse. – Sacerdos magnas congregationes massales dicit tales, qualis est PEGIDA, i.e. „Patriotische Europäer Gegen die Islamisierung Des Abendlandes“, quod significat Patriotae Europaei islamizationi terrae occidentis adversantes. Haec congregatio, cuius participes sunt plus decem milia, interdum viginti tringentave milia civium, in urbe Dresdâ Saxonum ex anno fieri solet omni die Lunae.

oportet ut etiam recrescat vigor missionarius catholicorum Germaniensium. AMEN.

In nomine patris et Filii et Spiritûs Sancti. AMEN.

**HAEC VERBA FECIT QUIDAM SACERDOS CATHOLICUS**

**d.02. m.Ian. a.2015**

<https://www.youtube.com/watch?v=R-dvJkLNFPg>

**EADEM E THEODISCO SERMONE IN LATINUM CONVERTIT**



**NICOLAUS GROSS  
LEO LATINUS**

## ECHŪS VOCES

d.20.m.Dec. h.17.36. a.2015  
 Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Care Nicolae,

gratias Tibi ago pro Epistulis tuis Leoninis, quas accipiens legensque gaudio semper afficior. Mira subtilitate saepe *notum callida verbum reddidisti iunctura novum* et interpretationes tuae iterum atque iterum consilia mihi utiliora offerunt, ut res recentiores eleganti Latino amictu vestiri possint.

Imo ex corde tibi exopto laetiferum festum Christi Natalis et felicem novum annum! Insuper tibi Latinum munusculum mitto, quod est carmen illustre Alafredi Bartoli in *Certamine Poetico Hoeufftiano* anno 1917 magna laude ornatum. Versibus istis (pro dolor hodie oblivioni datis) poeta eleganti claroque stilo noctem natalicium Bello Mundano Primo flagrante narravit optimeque dolores, discrimina, timores et gaudia illius saevi temporis expressit.

Optime vale!

Marcus Cristini

d.01. m.Ian. a.2016  
 Nicolaus Groß Marco Cristini sal.pl.dic.

Care Marce,

plurimas gratias tibi ago pro votis in Natale Domini Annumque Ineuntem perhumaniter oblatis, necnon pro poemate ab Alafredo Bartoli elegantissimê conscripto!

Pro certo habeo te de Latinitate vivâ colendâ et restituendâ esse perbene meritum. Cum laetê laudo industriam tuam Latinê scribendi tum praecipuê subtilitatem carmina neolatina colligendi et ordinandi. Novistine Pantoiam bibliographiam neolatinam Bernhardi Platzdasch? Tibi eandem valdê commendo: <http://www.pantoia.de/>

Anno MMXVI, care Marce, utinam valeas valetudine prosperrimâ, utinam floreant studia tua Latinissima!

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß  
 LEO LATINUS

# NOX NATALICIA

## CARMEN ALAFREDI BARTOLI

MELITENSIS  
CIVIS PISTORIENSIS ET GROSSETANI  
IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO  
MAGNA LAUDE ORNATUM.  
AMSTELODAMI  
APUD IO. MULLERUM.  
MCMXVII.

Vespere cognatos opulenta coegerat omnes  
iam domus: una aderant generique nurusque nepotesque,  
illa ut nascentis fierent solemnia Christi  
ex usu patrum festiva in nocte quotannis. 5  
Grata quidem cunctis nox evigilanda redibat,  
gratior at pueris, sua quod munuscula cuique  
dedat, et optatos referat dulcissima ludos.  
Quam bene reddebant speculis radiantibus aedes  
mille repercusso lyncorum lumine flammis; 10  
splendidiora quibus tabulis laquearia pictis,  
candidus et paries caelatis aere figuris  
ridebant, ebore et late distincta supellex!  
Diversi hac illac omnes conclavia lustrant,  
prout se oblectandi ducet sua quemque cupido;  
alea namque alios, alios lusoria poscit 15  
chartula, et intentos bissero tessera puncto  
hinc numerata duos, ludos vocat inde latronum.  
At gravior loquitur coetus permulta virorum  
solus, ephemeridas vario sermone volutans: 20  
unde sit exortum tot agens incendia bellum,  
tantave quem finem clades habitura sit orbi,  
inter se quaerunt misero, quo iure popelli  
pace queant niti perfecta, et moribus uti.  
Interea muliebre genus, sua quaeque renarrans, 25  
quisquillas agit, risu se prodit inepto,  
in gemmis solum, solumque in veste moratum;  
grexque puellaris laeto huc discursat et illuc  
ore, suumque tenet pueros ex more tablinum  
ludentes, hilari qui complent omnia voce.



Illa tamen vero non omnes gaudia captos, 30  
 quot quot erant, animos mulcebant: tristior uni  
 vultus et obducta caelum ceu nube serenum,  
 quae, sola comites vitans in parte sedebat,  
 quippe aliud, quam quae fierent se ludicra circum,  
 mente videretur totoque ex corde misella 35  
 quaerere. Nuper enim, peteret cum moesta paternam  
 ipsa domum, dextra implicitos laevaue gemellos  
 deducens pueros, cari iam pignus amoris,  
 (horum vix aetas quartum compleverat annum)  
 anne apud esset avos, ambo, pater ipse futurus 40  
 quaesierant, longo pater haud sibi tempore visus!  
 “Ni veniat, malus est!” inquit pulcro ore puella.  
 “Et nostro” subicit “non dignus amore!” puellus.  
 Aegra animi patrem, at sero, mentita, futurum  
 dixit, gnara quidem quo diceret illa dolore, 45  
 et siccis oculis. Iam dudum in bella vocatus  
 ille erat, et nondum pervenerat ullus ab illo  
 nuntius, ut magno coniunx sic anxia luctu  
 viveret, utque magis solitae se traderet illo  
 vespere tristitiae, meminit cum rite quotannis 50  
 cum pueris illum sacrae mysteria noctis  
 iam celebrasse simul. Pueros ignara malorum  
 mens vero atque animus grata in solatia promptos  
 mox facit immemores, nuper vivacia sensim  
 ora patris minuunt comitum nugaeque iocique. 55  
 At tibi non, coniunx, eius defluxit imago;  
 quin menti magis atque oculis spirantior adstat  
 ille tuus coniunx, quid nescio triste locutus:  
 “O utinam hac tecum nostros in nocte viderem  
 pendentes, donis plenos, circum oscula natos!”- 60

Ille quidem patriae iam dudum signa secutus  
 tristis erat coniunx. Magnis claraverat ausis  
 quem laus magna ducum, facinus patrare pericli  
 plenum, at patratum sibi quod decus adderet ingens  
 non renuit: noctu mutata veste catervas 65  
 ire per hostiles, sociis et visa referre.  
 Res bene non cessit: capitur vinclisque retentus  
 indiciiue reus, damnatur crimine mortis.  
 Hora subest misero; suprema haec degitur illi  
 nox, ut praeteritos non evigilanda per annos 70  
 cara domi, dulces inter cum coniuge natos!  
 “Heu! Miseri nati, vos, tuque miserrima coniunx,  
 me frustra patrem, frustra expectare maritum  
 nunc erit! Extremum hoc possem dare brachia collo  
 vobis, ipsa foret rerum teterrima dulcis 75  
 mors mihi! Non casum doleo, quod morte paciscor  
 pro tali magnum nunquam moriturus honorem,  
 at quod non gnaris caream huic me cedere fato,

et qua praesertim absentes in nocte vicissim  
 nos revocare iuvat!" - Dicenti haec vivida secum 80  
 tum domus heu! subiit. Reducem se cernit in aedes  
 marmore fulgentes tremulis hinc inde lucernis.  
 Excipiunt soceri, dilecta amplectitur uxor,  
 mutua praecipitant hilares se in basia nati!  
 Tunc et adesse videt, quibus utebatur amicis, 85  
 ludere vel secum, adloquio vel fallere dulci  
 pervigiles illic horas, quoad grata veniret  
 parvae expectanti qua natalicia turbae  
 muneribus dives media de nocte micaret  
 arbor, nascentem recolit dum naenia Pupum. 90  
 Tum vero ingentem compressum corde dolorem  
 ferre nequit, lacrimasque ciens, sua pignora, natos,  
 uxorem vocitat, tamquam si audire vocatos  
 sentiat, et credat sibi respondere querenti.  
 Dein fletus sensim cohibet, tenerasque videtur 95  
 balbutire preces, dum dulcia nomina secum  
 singultans, fixis ceu somnia spectet ocellis  
 haeret, et immotum tota est in imagine saxum!

Hora venit tandem tenerae expectata cohorti  
 per lusus; si forte sopor quos vicit, et illi 100  
 qui conniverent aliorum vocibus acti  
 mox exsperguntur; foribus tunc magna reclusis  
 omnes cum natu minimis matresque virosque  
 atque senum recipit iuvenumque exedra catervam.  
 In medio viridis stans ramos pandit onustos 105  
 omne genus pulcris pinus ditissima rebus.  
 Munera pusus hiat, sua spectat pupula dona,  
 allicit hunc aliud, quoddam sed pellicit illam;  
 pendula nam tremulis sum cuncta crepundia ramis  
 pupa hinc caeruleis oculis flavoque capillo 110  
 devocat, hinc frendens deiectum miles in hostem;  
 cogitat in fluctus udo ratis acta vapore,  
 in nebulasque novo quodam molimine navis;  
 millia se pueris hic oblectamina parvis  
 praebent, ut votum possint satiare rogantum: 115  
 carpenta ex ligno, litui, de marmore labrum,  
 et quibus aediculae minimis altaria signis  
 ormentur, quibus ac instructa domuncula ridet;  
 aere securiculae, vitro factaeque volucres,  
 armillae, birotae, gladii, clypeique pilaeque. 120  
 Tum pastillorum redolens et copia nares  
 exacuens, grato medicata cupedia melle,  
 scriblitae laeti immixtae dulcesque placentae,  
 cumque libis multo buccellae sacchare odorae!  
 Interea, dum quisque sibi sua munera tradi 125  
 expectat, quidam, dominae ad nutum, puer adstans  
 carmina balbutit, pia queis est hora notanda:

Laetemur: nova protulit terris sidera iam polus; et cunabula desuper sacra lumine complent!	130
Laetemur: modo gloriam in caelis cecinit Deo, nobis aligerum chorus cantat omina pacis.	135
Hac qui nocte tenellulus vagitu ferit aera, infans, quem stabulum fovet, Ille rex, Deus ille!	140
His nati modo Pupuli cunis lilia fundite: fert natus modo Pupulus pacis omina terris.	145
O qui, parvule, nec tua horres frigore sub casa, vagitumque labellulis parve, mittis, Iesu, terras bella quot anxias iam dudum faciunt, Bone,	150
quem pacis Dominum vocant, pelle, fac redeat Pax! Fac natis redeat pater, sponsus coniugibus, nigra fac iam tristitia domus usque nulla laboret.	155
Laetemur: date carmina, et vos omina, amiculi; et prae laetitia domus tota nostra cachinnet: his quicquid parietibus gaudi est, rideat et canat: nobis quisne beator? est Deus, Deus Ille!	160
Haec puero dicente tamen, moestissima coniunx, nil tibi perceptum fuerat, tibi nulla per aures verba ierant clausas, sola usque in parte sedenti. Mens etenim diversa locos quaerebat et illum, arserat unde prius iuvenili pectus amore; ex te toto animo, coniunx, heu nescia fati illa tui, tota pendebat perdita mente!	165
Ecce autem in medio pinus stans, forte tuenti, ut fit per nebulas, vel, ceu per somnia, sensim, nescio quo ex animi lapsu, mutare figuram visa est: inde absunt pendentia munera; rami mox coeunt frondesque simul ceu corpus in unum, atque abeunt laevis spectanti in robora trunci; haec quoque paulatim pullum traxisse colorem	170
	175

cernit et in tristi iam iam nigrescere valle,  
 perque gradus forma mutata aliud fieri: crux! ...  
 Squalida nox circum pendet, caelumque videtur 180  
 nubibus intentum, quem nescio flere dolorem!  
 Tum diro in ligno effigiem vepallida iam iam  
 cernit adumbrari mulier; quem? ... Corde tremiscat  
 tota licet, nigra non flectit ab arbore vultum;  
 ac aliquid noti sensim pendentis in ore 185  
 colligit: est quanquam sectus modo forfice crinis,  
 pallor et in vultu, atque oculos mors urget apertos,  
 ille agnoscendum miserae se dat propere: Vir!  
 "Occidit heu!" clamat subito velut excita somno,  
 "Occidit infelix!" collapsaque corpore toto est... 190

Tunc vere infelix pendebat in arbore coniunx!...

**CARMEN LATINUM, C.T. NOX NATALICIA**

**PEPIGIT ALAFREDUS BARTOLI POETA NEOLATINUS**

**IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO**

**A. MCMXVII.**

**MAGNĀ LAUDE ORNATUS.**

**NOCTEM NATALICIAM**

**D. XX. M. DEC. A. MMXV**

**NOBIS PERHUMANITER MISIT**

**MARCUS CRISTINI**



**NICOLAUS GROSS  
 LEO LATINUS**

Otfried Preußler  
**Crabatus**



**Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)**

**Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !**



**LEO LATINUS**

# **VOTA IN ANNUM MMXVI FERENDA**



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**

**IN ANNUM MMXVI INEUNTEM**



**LEO LATINUS**

**OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**





**HANC EPISTULAM LEONINAM  
NONAGESIMAM PRIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Veneris, d.01. m.Ian. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**